In caussa compromissi inter D. Franciscum de Martino filium primogenitum defuncti D. Antonii, et filios secundogenitos D. Nicolaum, et D. Modestinum, ut en actis.

In Dei nomine Amen.

Visis instrumento compromissi die 6 mensis Aprilis anni 1803 per Notarium Caesarem d'Antonio de Neapoli confecto, quo D. Franciscus de Martino, eiusque germani fratres secundogeniti D. Nicolans, et D. Modestinus me arbitrum, et pacis sequestrem ad controversias sedandas morte communis patris D. Antonii obortas elegerunt fol. 1 et 2.

Libello ab iisdem secundogenitis fratribus D. Nicolao et D. Modestino apud acta die 7 Junii eiusdem anni 1803 exhibito, quo I ad se spectare quaesierunt duas ex tribus usufructus partibus constituti tum in suorum propatruorum D. Nicolai, D. Josephi, et D. Dianae de Martino heredita-

A

tariis bonis, instrumento ex die 15 Aprilis anni 1704 dotatis, tum in bonis hereditariis pauperum Advocati in Regia Audientia Montisfusci D. Francisci de Martino eorum avi secundum testamentarias tabulas die 14 Junii 1772 ab eodem ordinatas: II spectare contenderunt tredecim millia tercentum triginta tres ducatos, et asses triginta quatuor, seu duas ex tribus viginti millium ducatorum partibus, quos idem avus D. Franciscus eorum patri D. Antonio, eiusque nascituris filiis contemplatione matrimonii donavit: III duas alias spectandas instituerunt ex tribus hereditariorum bonorum partibus D. Stephani de Martino, quae posthac ad ipsorum patruum D. Modestinum pervenerunt, quaeque hic vel eorum patri, eiusque nascituris filiis, eadem matrimonii contemplatione donata voluit: IV duas quoque ex tribus antefati partibus ab illorum patre D. Antonio uxori suae D. Magdalenae Garofalo quoad usumfructum tantum promissi, et quoad plenam proprietatem nascituris filiis, non tanquam heredibus relicti: V legitimam sibi debitam liquidandam petierunt, non modo ex bonis a patre quaesitis, verum etiam ex antiquis familiae bonis, prout pater testamento cavit: VI universalem heredem D. Franciscum obstringi ad legata sibi praestanda victus, habitationis, et servitii, nec non ad annuos ducatos septuaginta duos ipsorum unicuique solvendos, et ad duas aedium contignationes tradendas apud *Regiam viam* positarum. Haec omnia addiderunt cum fructibus, et redditibus deberi, qui

a pa-

a patris obitu decurrerunt; et hinc mandari postularunt, ut bona adnotarentur, et ut congrua aliqua nummorum summa liberaretur: integro verum iure manente in novem maternarum dotium, seu trium millium ducatorum partes succedendi iuxta nuptialia instrumenta ad usum aboliti Sedilis Capuani, et Nili celebrata fol. 5 ad 10.

Instrumento die 15 Aprilis 1704 per Notarium Joannem Dente ex civitate Montisfusci conscripto, et praedicta die 7 Junii 1803 ab ipsis D. Nicolao, et D. Modestino de Martino allato, quo praefati fratres D. Joseph, et D. Nicolaus de Martino cum germana sorore D. Diana coniuncti splendoris gratia perpetuum in familia servandi, bona omnia adquisita, et adquirenda duobus germani fratris D. Francisci filiis D. Modestino, et D. Antonio, aliis omnibus maribus tantum, qui ab ipso nascerentur mortis caussa donarunt, et huiusmodi bona nunquam distrahi posse statuerunt, ut, donatariis morientibus, primogenitus in proprietatem succederet, onere gravatus ususfructus cum omnibus secundogenitis fratribus in aequales partes communicandi, et ita in perpetuum observandum a primogenito in primogenitum declararunt fol. 11 ad 13.

Testamento scripto pauperum Advocati D. Francisci de Martino per praefatum Notarium Joannem Dente die 14 Junii 1772 clauso, et per eundem die 11 Februarii 1775 aperto, eademque die 7 Junii 1803 a D. Nicolao, et D. Modestino producto, quo universum illud ratum habuit, quod

sui

sui fratres D. Joseph, et D. Nicolaus cum germana sorore D. Diana in enunciata donatione dispofuerunt, parique studio motus splendoris in familia perpetuandi, heredem in proprietate filium suum primogenitum D. Modestinum instituit, cuius respectu, aliorumque deinceps ab ipso nascentium primogenitorum, primogenituram mere masculinam erexit, lege signate adiecta, ut, linea huius primogeniti extincta, gradatim primogeniti ab aliis tribus filiis suis maribus D. Antonio, D. Julio, et D. Josepho Xaverio descendentes vocarentur. Jussit praeterea omnes stirpis suae masculos quoad usumfructum in aequas partes successuros, facta primogenito curandi facultate, ut rustica praedia meliorarentur, et urbana reficerentur. Cavit tandem, ut secundogenitis usus, et habitatio in aedibus suis prope *S. Franciscum*, et *Vallem* sitis daretur, primogenitique iure praelationis in pinacotheca, seu in ea domus parte, quae vulgo dicitur *galleria*, habitarent fol. 14 ad 31.

Codicillis eiusdem D. Francisci de Martino die 22 Octobris 1772 confectis, et ab iisdem D. Nicolao, et D. Modestino praesentatis, quibus inter alia praecepit, ut, cum primogenitus filius suus a matrimonio contrahendo alienum esse ostenderet, primogenitura testamento praescripta in filium suum secundogenitum D. Antonium transferretur fol. 99 ad 101.

Chirographo mense Septembris 1774 condito, et tum a pauperum Advocato D. Francisco de Martino, suisque filiis D.

D. Modestino, et D. Antonio, cum a D. Laura Mascolo D. Nicolai Garofalo, qui apud M. Cur. Criminalem caput aulae sedit, vidua, atque D. Jannarii Garofalo matre, et tutrice, ab Advocato D. Carolo Carfora eiusdem D. Januarii tutore alio, et a D. Carolo Garofalo memorati D. Nicolai filio communiter subscripto, quo pro matrimonio inter D. Antonium de Martino, et D. Magdalenam Garofalo dicti D. Nicolai filiam contrahendo, non solum praefatus D. Franciscus ex caussa, et contemplatione huiusmodi matrimonii filio suo D. Antonio, et filiis ab illo nascituris ducatorum viginti millia donavit, qui ab omnibus bonis suis desumendi essent, voluitque quoad alia, quae supererant, dispositionem testamento, et codicillis ab eo statutam executioni mandari; verum etiam D. Modestinus de Martino eadem de caussa eidem D. Antonio fratri suo, filiisque nascituris bona donavit, quae a patruo suo D. Stephano ad ipsum pervenerunt fol. 35 at. ad 38.

Nuptialibus tabulis prima die Aprilis 1775 inter D. Antonium de Martino, et D. Magdalenam Garofalo ad usum eversi Sedilis Capuani, et Nili initis, quibus superscriptum chirographum insertum est, quod, patris sui D. Francisci morte sequuta, comprobavit D. Antonius, qui tam suo proprio, quam D. Modestini fratris sui nomine promisit ducatorum viginti millia ipsi D. Antonio, filiisque nascituris donata ab omnibus donantis patris hereditariis bonis, et ab eorum quoque propriis esse detrahenda. Conventum

demum est, filios ad antefati proprietatem tanquam filios, non tamquam heredes succedere oportere fol.32 a t. ad 48. Instrumento die 19 Aprilis 1775 per Notarium Xaverium Cotone ex Montefusco elaborato, et ab iisdem D. Nicolao, et D. Modestino de Martino allegato, quo ipsorum patruus D. Modestinus de Martino ratas habuit contractas nuptiales tabulas, quas Neapolitanus Notarius Antonius Spezzacatena die 1 dicti mensis inter fratrem suum D. Antonium, et D. Magdalenam Garofalo confecerat fol. 32 ad 48.

Exceptionibus e contrario die 10 Junii 1803 a primogenito D. Francisco de Martino longo libello obiectis, quibus plura actionibus a secundogenitis fratribus institutis opposuit: I quamvis ex proditis testamentariis dispositionibus tum D. Nicolai, D. Josephi, et D. Dianae de Martino, tum pauperum Advocati D. Francisci de Martino bonorum proprietas soli primogenito, cuius personam ipse nunc sustinet, et usufructus et sibi, et aliis omnibus secundogenitis fratribus deberetur; cum tamen vivat adhuc suus patruus D. Julius de Martino, cui tanquam unico praefati D. Francisci secundogenito superstiti dimidia usufructus pars contigerat, nil aliud comparentibus secundogenitis D. Nicolao, et D. Modestino debetur, quam duae ex tribus alterius dimidii usufructus partibus, quod communi patri D. Antonio competebat. II Opposuit, non esse fratres suos

D.

D. Nicolaum, et D. Modestinum ex propriis personis vocatos ad duas ex tribus partibus ducatorum viginti millium a pauperum Advocato D. Francisco de Martino donatorum filio suo D.Antonio, et filiis a matrimonio cum D. Magdalena Garofalo nascituris, et ad bona quoque a D. Modestino de Martino eidem D. Antonio, filiisque nascituris eadem de caussa donata, quia sententia iure innixa, et in Foro recepta illud unum fert, ut nascituri filii tanquam heredes patris in huiusmodi donationes succedant, ac proinde cum communis pater D. Antonius legitimam tantummodo secundogenitis D. Nicolao, et D. Modestino reliquisset, nil amplius in his bonis debetur, quam sola legitima. III Oppositum est, D. Nicolao, et D.Modestino duas ex tribus partibus antefati quoad proprietatem, et usumfructum non deberi, nisi morte communis matris D. Magdalenae Garofalo adveniente. IV Oppositum est, attendi oportere minoris fratris D. Modestini aetatem maiorem, ut bona dividantur, et legitima liquidetur, additumque porro est, legitimam maioris aetatis tempore, exclusis propatruorum, et avi hereditariis bonis, utpote primogeniturae subiectis, pro numero filiorum esse liquidandam.

Obiectum tandem est, nullam mandandam esse bonorum adnotationem, quippe quae iam per Actuarium Regiae Camerae Salvatorem Scalcione facta reperitur ratione motae litis a communi sorore D. Angela de Martino cum D. Hieronymo Ambrogi optimo eiusdem Tribunalis Praeside matri-

trimonio collocata, uti videre est in actis apud Actuarium Salvatorem Sanfestino; nec posse ullam summam pro D. Nicolao, et D. Modestino liberari, qui in paterna domo victum, habitationem, et servitium habent, et pro duodecim ducatis singulis mensibus ducatos viginti acceperunt fol. 50 ad 52.

PRovisione a nobis die 23 Julii 1803 prolata in contradictorio iudicio ad hanc rem habito per interpositum actum, et a tribus fratribus, ac eorum matre D. Magdalena Garofalo subscriptum, hisce verbis conceptum: *Che senza pregiudizio delle ragioni delle parti, il suddetto primogenito D. Francesco debba fare estrarre a sue spese la copia dell' annotazione fatta dall' Attuario della Regia Camera, per ordine del Signor Presidente Suarez Commessario, in occasione della morte di D. Antonio de Martino loro padre, con dovere tal copia presentare presso gli atti di questo compromesso fra il termine di giorni quattro, per esaminarsi da ciascuna di esse parti, alle quali resta riservata la ragione di dedurre altri beni o pesi, che forse non si trovano in tale annotazione descritti, per indi darsi dal detto Signor Arbitro le dovute provvidenze. Si è anche stabilito doversi da D. Maddalena Garofalo comune madre continuare il pagamento de' mensuali ducati dieci, come coll' istromento di compromesso è convenuto, a beneficio di detti secondogeniti D. Nicola e D. Modestino, con doversi però dai me-*

medesimi fare i dovuti ricivi per cautela di essa D. Maddalena, con mesata però sempre anticipata, trattandosi di alimenti, e che la stessa D. Maddalena debba per una sola volta pagare al cennato D. Nicola, anche con ricivo, in causam declarandam ducati venticinque per tutta la fine del venturo mese di Agosto fol. 53 a t.

Testamento D. Antonii de Martino die 5 Martii 1803 inter acta Notarii Angeli Antonii Spinelli ex Civitate Montisfusci relato, et die 30 Januarii huius anni praesentato, quo declaravit, non eo voluntatem suam tendere, ut quidquam praeiudicii aut testamentis a D. Diana, D. Modestino, D. Josepho, et D. Nicolao senioribus conditis, aut iis, quae D. Franciscus pater disposuerat, inferret. Deinde universalem heredem instituit D. Franciscum filium suum primogenitum, et D. Nicolaum, et D. Modestinum tantum ex legitima heredes, quae intelligenda tam de bonis omnibus a maioribus sibi relictis, quam de aliis ab ipsomet testatore acquisitis. Soli primogenito universali heredi onus iniunxit dotandi duas nubiles filias in tribus millibus et ducentis ducatis pro unaquaque, et alimenta interim praestandi; et si earum aliqua monasticam vitam eligeret, idem D. Franciscus dotem constituere deberet, et annuos ducatos triginta pro certo subsidio solvere. Uxorem D. Magdalenam Garofalo dominam, et usufructuariam fecit, si viduitatem servaret. Filiae suae D. Angelae praelaudato Prae-

fidi Ambrogi nuptae ultra dotem in ducatis tribus millibus constitutam ducatos ducentos praelegavit, et primogenitum universalem heredem obstrinxit, ut hanc summam solveret, et quod pro eadem dote solvendum supererat.

Filios quoque invicem substituit, voluitque, ut si illorum aliquis sine legitimis heredibus decederet, praemortui pars aliorum beneficio cederet ex reciproca substitutione, qua alter alteri succedere debet.

Statuit porro una cum D. Francisco viventibus D. Nicolao et D. Modestino, his a D. Francisco commodam habitationem, quotidianum victum, servitium, et septuaginta duos annuos ducatos pro unoquoque dari; si vero secus agerent, legitimam ipsis iure debitam ex antiquis, et a se quaesitis bonis habituros.

Praeterea filium suum primogenitum gravamini subiecit D. Nicolao, et D. Modestino, quoad vixerint, assignandi duas domus contignationes in *Regia via* sitae, quarum quaelibet quatuor cubiculis constat, ut possint ibi mercaturam facere, et morari, quo tempore se illuc conferre placet, lege tamen adiecta, has duas domus contignationes ipsis sola mercatura, et habitatione, non proprietatis titulo inservituras.

Cavit insuper, ut annuis ducatis quindecim a maioribus pro Capellania per ipsos fundata addictis, alii annui ducati triginta novem adderentur, ut Capellanus ab herede nominandus posset singulis diebus missam pro quindecim assium ratione celebrare.

E-

Exemplo adnotationis per Actuarium Regiae Camerae Salvatorem Scalcione in mense Junii 1803 confectae ad petitionem D.Angelae de Martino praefati Praesidis Regiae Camerae uxoris, propter litem in eadem Regia Camera motam penes Actuarium Sanfestino, tam mobilium bonorum in hereditaria domo D. Antonii de Martino in civitate Montisfusci sita existentium fol. 55, quam stabilium eiusdem hereditatis fol. *69* ad 71, et die 7 Februarii labentis anni 1805 per D. Franciscum de Martino exhibita: testificantibus litteris Archivarii dictae Regiae Camerae, in quibus nomine D. Francisci de Martino pauperum Advocati bona recensentur, quae in catastalibus tabulis Montisfusci anni 1743 publicatis continentur fol. 102, et litteris aliis eiusdem Archivi bona a D. Stephano de Martino acquisita testantibus fol. 109.

Bonorum aestimatione ab expertis Nicolao Cefalo, et Xaverio Ardone ex civitate Montisfusci communi consensu per tres contendentes fratres electis in mense Januarii hujus anni emissa, et ab iisdem fratribus acceptata fol. 73, qua palatia duo in civitate Montisfusci sita de antiquo huiusce familiae de Martino patrimonio ducatis 6405 : 60 aestimata fuere, scilicet unum, cui hortus adhaeret trium circiter iugerum in regione positum, quae dicitur *S. Francisci* ducatis 4275 : 60, et alterum in regione, quae dicitur *S. Matthaei* ducatis 2130 fol. 73. Aestimatio quoque data est, deductis oneribus, ducatorum 38871 : 50 bonis omnibus sta-

stabilibus, quae idem antiquum familiae patrimonium constituebant fol. 74 ad 84, et demum bonis a D. Antonio de Martino acquisitis ducatorum 20737.25 fol. 85 ad 94.

Libello diei 4 Februarii huius anni per D. Franciscum praesentato, quo easdem exceptiones adversus actiones a secundogenitis fratribus intentatas iteravit, et memoratis scripturis demonstrandum suscepit quanti valerent cuiusque patrimonii bona, quod in controversiam adducitur fol. 110 ad 113.

Actu per Actuarium compromissi die 23 praedicti mensis Februarii composito, quo dicti tres fratres post longam discussionem, communi consensu convenere, ut ipse compromissi Actuarius relationis loco in bonis, et oneribus cuiusque patrimonii describendis, librum iisdem tribus fratribus assistentibus consuluisset, cui titulus *memorie ricavate da me Francesco de Martino*, qui a primogenito D. Francisco servabatur, quique a secundogenitis D. Nicolao, et D. Modestino verus et integer habebatur, et deinde ad Arbitri instructionem seorsim adnotasset: I bona, quae fuisse apparebant D. Stephani, et D. Modestini de Martino seniorum: II bona D. Stephani posthumi filii ex D. Stephano seniori: III bona D. Nicolai, D. Josephi, et D. Dianae de Martino, qui alii filii erant eiusdem D. Stephani senioris, et D. Modestini nepotes: IV peculiaria bona pauperum Advocati D. Francisci de Martino ex eodem Stephano seniori filii. Ubi vero haec omnia bona separatim adno-

notaverit, pretium referret cuiusque singularis patrimonii secundum aestimationem ab expertis traditam, et a fratribus acceptam, tandemque ab ipsis adsensum est pro hereditariis bonis communis patris D. Antonii consistere debere peractam liquidationem, et aestimationem fol. 124.

Actuarii relatione die 28 eiusdem mensis Februarii fol. 121 ad 124, qua refert bona D. Stephani, et D. Modestini valere ducatis —— 9826.45

Bona D. Stephani posthumi duc. —— 2643

Bona D. Nicolai valere duc. —— 5740

Et hinc colligit bona haec omnia valere duc. —— 18209.45

Bona vero pauperum Advocati D. Francisci de Martino aestimantur duc. —— 20612.05

In unum duc. —— 38821.50

Actu per assumptum Actuarium expedito, quo controversi facti veritate pluribus diebus ad liquidum adducta, placuit ob varias caussas in ipso actu expressas, patrimonio paterno addi alios ducatos 3611.65 fol. 125.

Libello die 12 Februarii huius anni per viduam D. Magdalenam Garofalo edito fol. 115, et eius mandato speciali facultate instructo penes acta compromissi comparendi fol. 114, quo congruam summam sibi assignari petit ratione

dotium in ducatis tribus millibus debitarum, respondentis antefati, et illius quantitatis, quae ad illam de donatione viginti millium ducatorum ad contemplationem matrimonii peracta pertinet.

Libello alio eadem die allato, quo cum voluntatem suam declaraverit in viduitate permanendi, et in aedibus defuncti viri cohabitandi, exposuit sibi vi nuptialium tabularum, et testamenti viri, praeter dotem, et antefatum, deberi partem usufructus omnium bonorum, quia viduum lectum servat, nec non gemmas, aurum, argentum, et ornamenta alia et ante, et post matrimonium illi donata fol. 116 et 117.

Consensu ab enunciatis tribus fratribus die 22 Julii 1803, et die 18 Januarii, et 28 Februarii 1805 fol. 53 a t. et 54, tandemque eadem die 28 dicti mensis Februarii praestito fol. 125, et 126, laudum integro hoc mense Aprilis promulgari omnimodo tributa facultate, et remotis iudicii formulis ad procedendum tam de iure, quam de facto, cum praedicti fratres termino, relationi, ac discussioni omnium bonorum cuiuscumque patrimonii renunciaverint, et oeconomica via agi consenserint, qualibet petitione, ut aequius melius putatur, compensata, factaque potestate, ut secundogenitis loco usufructus competens annua praestatio praebeatur.

De-

DEcreto tandem a M. Cur. Vicariae interposito, quo declaratur D. Modestinum de Martino ad maiorem aetatem pervenisse fol. 128, ac visis actis omnibus, partibusque pluries auditis.

PRaesenti definitivo laudo declaramus ad D.Franciscum de Martino tamquam primogenitum filium D. Antonii quoad proprietatem pertinere vi donationis a D. Josepho, D.Nicolao, et D. Diana de Martino per instrumentum die 15 Aprilis 1704 peractae fol. 11 ad 13 bona ab iisdem post mortem relicta, nempe tum ea, quae ipsi acquisierunt, partium consensu liquidata, et duc. 5740 aestimata, tum alia, quae a patre D. Stephano, et patruo D. Modestino ad ipsos pervenere ducatis 9826.45 aestimata, ut ab actu fol. 122 ad 124 eruitur: et quoad usumfructum declaramus, vita durante communis patrui D. Julii, qui in huiusmodi bonis ususfructus dimidio gaudet, dimidium aliud ad omnes tres fratres pro aequis partibus spectare.

Declaramus insuper ad eumdem D.Franciscum de Martino, tamquam primogenitum filium D. Antonii pertinere quoad proprietatem vi testamenti pauperum Advocati D.Francisci sui avi bona huius hereditaria in enunciato Actuarii actu relata, et in duc. 20612.07 liquidata fol. 122 ad 124; detractis tamen ducatis viginti millibus contemplatione matrimonii filio D. Antonio, filiisque ab eo nascituris inter vivos donatis; et quoad usumfructum, vita durante communis patrui

trui D. Julii, qui in his quoque hereditariis bonis dimidio usufructus gaudet, idem servandum declaramus, quod in descripto D. Josephi, D. Nicolai, et D. Dianae patrimonio declaravimus.

At quoniam perpendimus bona utriusque superscripti patrimonii dividi non expedire, ut propria usufructus pars unicuique fratrum daretur, tum quia inter patruum, et nepotes turbari posset concordia, tum quia ne expedit quidem, ut morte D. Julii patrui divisio fiat, utpote quae posset novas inter eosdem fratres controversias parere, praesertim si quis in usufructu percipiendo proprietate abuteretur, a nobis pro bono pacis creditum est datis facultatibus uti, quibus pro usufructu compensando, qui secundogenitis fratribus debetur, ipsis annuam pecuniae pensionem assignamus, et hinc pro modo redituum, qui aestimatione, et ipsarum partium dictis liquidati sunt, *arbitramur* praefatum primogenitum D. Franciscum unicuique secundogenito fratri solvere teneri annuos ducatos centum quadraginta quatuor, qui ab hac die cum repraesentatione, seu ut vulgo dicitur *cum anticipatione tertii* praestari debeant liberi, immunes, et non deminuti quolibet onere, praesertim fiscalibus functionibus sive catasti, sive decimae, sivè alterius tributi *deinceps imponendi*; et morte adveniente eorum patrui D. Julii alios annuos ducatos nonaginta sex cuilibet secundogenito addi eodem modo a primogenito solvendos, quo paullo ante expressimus; et ab hac

hac etiam die iisdem secundogenitis D.Nicolao, et D.Modestino ad usum et habitationem tantum dari debere integrum palatium in civitate Montisfusci situm, et in eo potissimum loco, qui dicitur *S. Matthaei*, seu *lo Seggio*.

QUoad ducatorum viginti millia attinet a D.Francisco de Martino, memorato chirographo mense Septembris 1774 scripto, contemplatione certi matrimonii filio suo D. Antonio, et filiis ab ipso nascituris donata, et quoad alia bona pertinet, quae ducatis 2643 aestimata eidem D. Antonio germanus frater D. Modestinus eodem modo donavit, examen nunc occurrit, num ad duas ex tribus ambarum donationum partibus secundogeniti ex propriis personis vocentur, an donata bona ita in patris hereditate immixta haberi debeant, ut nil aliud ipsis, quam relicta legitima debeatur.

Hac de re diu multumque in Foro disceptatum. Regens de Marinis resolut. lib. 1 cap. 89 contra filios sensit, qui tunc solum ex propriis personis vocati videntur, cum pater nomine eorum tanquam filiorum, non tanquam heredum sit expressis verbis stipulatus. Isthaec illius sententia hoc potissimum innititur argumento. Quum enim pater, et nascituri filii non coniunctim, sed successorio ordine ad huiusmodi donationes succedere possint, quemadmodum in successionibus hereditaria qualitas requiritur, ita haec eadem

dem in ſtipulatione praeſumi debet, quam pro naſcituris filiis pater iniit.

Aliud Joanni Franciſco Mariae Prato placuit, qui diſcept. lib. 3 diſcept. 30 ſatis eſſe credidit pro filiis ſtipulatum eſſe patrem, ut filii, nulla hereditariae qualitatis facta mentione, ex propriis perſonis vocati intelligerentur. Sic Pratus, et qui eum ſequuntur, ſuam adſtruunt opinionem. Si vocabula ideo inventa, ut hominum mentem ſignificent, vox filiorum, uti apud omnes univerſim accipitur, non patris heredes, qui et extranei eſſe poſſunt, ſed tantummodo filiorum perſonas deſignat. Hoc naturali ſenſu filii ad fideicommiſſa vocati dicuntur, et ubi in emphyteuſi, et feudali inveſtitura verba *pro te, et filiis* adhibentur, filios ex pacto, et providentia ſuccedere declaratur.

Accedit lex *quotiens* 3 *C. de donat. quae ſub modo*, quâ donatio conſiſtit, quae a donatario accepta alteri reſtituitur: in donatione vero, quâ ſingulari titulo acquiritur, heredum qualitas non attenditur. At quamvis rationum momenta pro filiis ſtare ſuadeant, monet tamen Joſephus Sorge omnium ſcriptorum recentiſſimus in ſuo opere Enucleat. caſuum foren ſ. t. 2 cap. 2 ſententiam filiis contrariam in Foro plerumque dominari.

Hinc nos ad litem amovendam, quae et primogenito D. Franciſco, et ſecundogenitis D. Nicolao, et D. Modeſtino haud leve damnum afferret, datis facultatibus utentes, veluti tran-

transfactionis titulo primogenitum D. Franciscum universalem heredem damnamus, ut pro incerta actione, quam secundogeniti tanquam ex propriis personis ad duas ex tribus ambarum donationum partibus vocati possunt experiri, praestet secundogenito D. Nicolao ducatorum duorum millium, et quingentorum summam, et eamdem alio fratri D. Modestino, vel in stabilibus bonis hereditariis avi sui D. Francisci, et patrui D. Modestini, arbitrio boni viri assignandis iuxta confectam ipsorum aestimationem, vel in numerata pecunia solvendam. Verum si pecunia solvenda eligatur, haec infra annos quinque, et per partes numeretur, quarum nulla sit minor ducatis quingentis unicuique solvendis, et interim quarto quoque mense interusurium ad rationem quinque pro singulis centenis pendatur liberum, et quolibet onere immune, praesertim catasto, decima, et omni alio tributo Regio Fisco debito. Hanc methodum tenuimus, quia in proposito utriusque donationis dubio ducatos 12643 paterno patrimonio adnectendos putavimus, et alios ducatos 10000 inter ipsos tres filios dividendos, legitimis detractis, quae feminas sequuntur.

LEgitima ordinatim sequitur. Duo de hac quaeruntur. Alterum rationem respicit, qua sit legitima liquidanda; alterum est, an reciprocae substitutioni praescriptae subiici possit legitima. Ut liquidandae legitimae ratio elucescat, non modo ad calculum adducimus bona a patre D. Antonio quae-

quaesita, et ducatis 20737 aestimata fol.85 ad 94, verum et alios duc. 3511 . 65, quos ab actu fol. 125 ad paternum patrimonium spectare liquet. Computamus porro duc. 1200 in partem dotium a vivo patre D. Antonio nuptae filiae D. Angelae solutos. Hae omnes quantitates simul collectae summam conficiunt duc. 25448 : 90.

Si modo ab hac collecta summa deducantur ducatorum tria millia pro dotibus communi matri D. Magdalenae Garofalo debita, et ducatorum millia pro antefato, reliqui fiunt duc. 21448 : 90. Huic subductae summae addantur ducati 12643 paterno patrimonio praedictarum donationum caussa adnexi, et summam habemus ducatorum triginta quatuor millium nonaginta unius, et assium nonaginta. Quum autem sex numero sint filii D. Antonii de Martino; aperte liquet, legitimam unicuique secundogenito fratri debitam ad ducatorum duomillia octingentos quadraginta, et asses nonaginta octo ascendere.

Damnamus itaque primogenitum filium D. Franciscum tanquam patris D. Antonii universalem heredem ad solvendam legitimae titulo summam ducatorum duorum millium octingentorum quadraginta, et assium nonaginta octo fratri secundogenito D. Nicolao, et eamdem alii fratri D. Modestino in hereditariis bonis arbitrio boni viri assignandis iuxta editam ipsorum aestimationem.

Num

Num praescriptae reciprocae substitutioni subiici possit legitima, alterum est, quod discutiendum praemisimus. Sanè pater omnes filios invicem substituit, iussitque alterum alteri sine liberis decedenti succedere. Hanc controversiam dirimit lex *si pater puellae* 12 *C. de inofficioso testam.*, in qua sequens species tractatur. Pater testamento filium ex semisse, filiam ex triente, et uxorem ex reliquo sextante heredes scripsit, cavitque, *ut si quis eorum intra viginti quinque annos aetatis decederet, superstitibus portionem suam restitueret*. Dolenti filiae gravatam esse onere trientis restituendi, et inofficiosi testamenti querelam instituere postulanti, sic Alexander Imperator rescripsit: *Calumniosam inofficiosi actionem adversus iustum iudicium testatoris instituere non debetis, cum ex huiusmodi fideicommissaria restitutione tam matris, quam fratris eius portio ad eam poterat pervenire*. Sicuti igitur filia de mutua, et reciproca substitutione, qua fratris, et matris partes acquirere poterat, inutiliter doluit; ita nulla prorsus ratione conqueruntur secundogeniti D. Nicolaus, et D. Modestinus impositam esse a patre inter ipsos, et primogenitum reciprocam substitutionem, quia accidere potest, ut non modo ad unumquemque eorum legitima alterius perveniat, sed etiam integra hereditas, quae ad primogenitum pertinuit.

Nec iuvat reponere, huic legi per posteriorem legem *quoniam in prioribus* 33 *eod. tit.* esse derogatum, quia si po-

ste-

flerioris huius legis verba ferio attendantur, manifeſtiſſimum eſt, Juſtiniani mentem fuiſſe, ne teſtamenta reſcinderentur, ſolumque antiquo iuri derogaſſe in iis caſibus, quibus huiuſmodi reſciſſorias actiones accommodabat. Ubi igitur nullum adeſt reſciſſionis periculum, ibi veteri iuri non derogatur. Nullum autem teſtamenti reſcindendi periculum reciproca ſubſtitutio affert, quae non ut impoſitum onus additur, ſed ut commune medium ad lucrandum adiicitur.

His de cauſſis iudicamus valere reciprocam ſubſtitutionem a patre D.Antonio inter filios praeſcriptam, eique etiam praedictas legitimas ſupponi.

PRaeterea primogenito D. Franciſco incumbere declaramus non ſolum ſingulis nubilibus ſororibus dotem ſolvere, et ad illam uſque diem, qua vel nubunt, vel monaſtica vota emittunt, alimenta praebere, ea ſervata ratione, quam pater teſtamento ſtatuit, ſed alii etiam nuptae ſorori D.Angelae et reliquum illud ſolvere, quod de integra dote debetur, et legatum a patre relictum praeſtare.

MEntis noſtrae attentionem excitant duae aedium contignationes in *Regia via* poſitarum, quarum quaelibet quatuor cubiculis componitur, et ſecundogenitis D. Nicolao, et D. Modeſtino a parte legatae tum morandi cauſſa quolibet tempore ſe illuc conferre putant, tum

tum mercaturae faciendae gratia. Nimirum contendit primogenitus in legato quatuor tantum cubicula comprachendi, quae pater expressit. Contra instant secundogeniti contineri quoque inferiora cubicula, quae superioribus adhaerent, quaeque superiorum commodo addicuntur.

Cum autem exploratum habuerimus, volentem finem, media velle debere, lubenter conclusimus patrem, qui negotiationis finem explicuit, legasse etiam inferiora cubicula, quae media sunt negotiationi exercendae necessaria. Hinc inferiora cubicula secundogenitis deberi arbitramur.

Ad rem hic firmum declaramus pactum in actu fol. 125 ad 128 expositum, quo conventum est, ut si pro reficiendis descriptis aedium contignationibus, vel domo Montisfusci sita secundogenitis ad habitationem assignata opus esset lignorum materies, haec a primogenito tradi deberet.

DEclaramus insuper teneri eundem primogenitum cuique secundogenito dare lectulum illa forma extructum, quae in enunciato actu refertur, duo ex argento arma mensilia vulgo *posate*, et argenteum salinum, ducatos sexaginta loco alterius debitae supellectilis; nec non D. Nicolao ad optionem unum ex duobus argenteis horologiis cum onere solvendi D. Modestino numerata pecunia dimidii pretii; pariterque unicuique secundogenito ducatos quadringentos ex nominum quantitatibus, quae morte communis patris exigendae supererant, infra biennium numerandos, et interim

rim ad rationem quinque pro singulis centenis catasto, decima, et quolibet alio onere immunium solvere interusurium, ut in praefato actu continetur.

PRo conventis porro exequutioni mandandis, quae ipsis fratribus in citato actu fol.125 placuere, declaramus, praeter summas, quas D. Nicolaus, et D. Modestinus accepere, et alias, quae iisdem ad hanc diem debentur vi instrumenti die *6* Aprilis 1803 *fol.* 1, *et* 2, teneri praefatum D. Franciscum pro una vice ducatos quinquaginta D. Nicolao, et alios nonaginta D. Modestino solvere.

ARbitramur tandem pro hinc inde deductis D.Franciscum cuilibet secundogenito ducatos ducentos quinquaginta hac lege solvere, ut compensentur etiam ea antefati parte, quae post mortem matris ad illos spectat, et ita volumus, ut pro aliis omnibus invicem absolvantur.

DEclaramus item gemmas a communi matre D.Magdalena Garofalo tanquam suae proprietatis exhibitas tempore adnotationis per Actuarium Scalcione confectae, et in eadem descriptas apud ipsam matrem quoad usum remanere, facultate tamen illi tributa inter solos masculos filios disponendi, et in beneficium illius, qui matri magis arridet, uti communi consensu in memorato actu statutum legitur.

De-

Declaramus etiam matri D. Magdalenae Garofalo in viduitate una cum filio D.Francifco vivere pergenti tantum praeftari oportere, quantum defuncti viri D. Antonii teftamento ftatuitur, et feorfim vivere cupienti per eundem filium D.Francifcum folvi debere fingulis quibufque menfibus ducatos viginti quinque, numerata femper in anteceffum menftrua penfione, liberos,et immunes quolibet onere, praefertim catafto, decima, et omni alio tributo, fimulque commodam domus habitationem, ubi nunc moratur, ac decentis fuppellectilis ufum praeftari. Verum in hac affignata contributione interufurium comprehendatur dotium, antefati, et cujufque alterius illi debiti.

Tandem declaramus, morte fuperveniente dictae communis matris D. Magdalenae, integra, et falva effe fecundogenitis filiis D. Nicolao, et D. Modeftino iura in illius dotibus fecundum praefcriptam in tabulis nuptialibus rationem. Et ita.

Datum Neapoli die vigefima fexta menfis Aprilis anni 1805.

Michael Cardone Arbiter.

Le-

LEctum, latum, et promulgatum fuit hoc praesens laudum et arbitramentum factum per suprascriptum magnificum Advocatum U. J. D. D. Michaelem Cardone, arbitrum, arbitratorem, et amicabilem compositorem per ambas partes electum, coram dicto Domino arbitro in eius domo cum interventu partium, praesentibus pro testibus D. Nicolao Conzo, et D. Bartholomaeo Bottiglieri, aliisque personis. Datum Neapoli die vigesima sexta mensis Aprilis 1805 = Joseph Antonius Santelia Scriba S. R. C. et Actuarius assumptus.